



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

7. Dies Junii. Oculi vestri etiamsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem. S. Augustinus Epist. 109.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-55659)

mos, per ætates plurimas subministravit. Quid non debet hæc ipsa, ubi hæc scribo, urbs Antvervia, Norberti familiæ? Quod non subfuerit Tanchelino fætali illi hærefoes portento, uni hoc debet Norberto. Sed illa familia non modò virtute, & eruditione, sed avito, imò & regio sanguine illustres recenset. Hoc inter eminet Robertus è regio Anglorum sanguine prognatus. Scitè ergò Poëta:

*Debet Norberto, si est Angla clara Roberto.*

## 7. DIES JUNII.

Oculi vestri etiamsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem. *S. Augustinus Epist. 109.*

Cautelâ I.  
magnum o-  
pus circa  
oculos.

**M**Ultum differunt, in aliquem oculos obiter jacere, & diu figere. Penè perinde est in ea quæ non decent, oculos figere, & animæ lethale vulnus infligere. Credes si sequentia maturè expendas. Acroama est Salviani, oculos esse (*a*) *naturales quosdam animi cuniculos*. Ut enim in obsidione civitatum, quæ naturâ, artificioque munitæ sunt, ducto cuniculo ad castellum, fit resticula pulveris tormentarii, duciturque in lineam ad præsidii fundamentum: nequetamen igne applicito fiunt statim illa grandia, & miranda, quæ videamus: sed paulatim flamma serpit per apertam viam secuta, & exigui somnis continuatione innutrita, donec in specum latè patentem, & copiosam materiam infusa, in vastum erumpat incendium. Tum videoas subito

(a) *L.3.de Provid.*

Junius.

Tessera.

435

subito ignem furere, solum quat, horrifico sonitu compleri omnia, subrui turre, volitare faxa, moles in sublime attolli, quasi telo trisulco Poëtici Jovis, aut Gigantum immanium conatu, Acroceraunia convellerentur. Ita eximiae formae pulchritudo, per oculos, ut animi cuniculos subiens, si aspectus continuatione, ut igneo fomite, ardor ipse cupiditatis, intimam in arcem prævenerit, magnū fieri incendium necesse est, fumo, & tenebris compleri mentem, proposita pia convelli, Gratiae propugnaculum everti, ruere muros dissipatae conscientiae, non sine acerba calamitate.

II. Oculos corporis esse cuniculos animi, docebit nos suo damno, utinam nostro emolumento, David, princeps dubites purpurā, an sanctimoniam clarior. Hic cùm somnio meridiano se mollius recreasset, surrexit è lectulo regio, captare liberiorem auram voluit, deambulavit in solario domus regiæ, unde liber in ornem viciniam prospectus fuit, circumegit curiosè oculos, (a) viditque mulierem se lavantem ex adverso. O quam acutè híc Augustinus! (b) Mulier longè, libido propè. Vedit, & subito à formoso illo spectaculo radius, & cum radio fulgur, & in fulgure vibrans amoris ignis, & ex igne ardor interiora depascens, unde illa consecuta sunt, quæ cùm legimus, vel audimus, legentium est dolor, audientium stupor. Deus bone! Magnus ille Messias Pater, ille à Deo coronatus, & vaticinio pollens, in cuius pectore, ut in opportuno diversorio S. Spiritus sedem posuerat, unde velut è tripodè loquebatur, ille præco mirabilis, ac pictor Evangelii futuri, & Ecclesiæ olim triumphantis.

Ee 2

IIIa

(a) 2. Reg. 11. 2. (b) In Ps. 50.

Ille divinitus amplissimo dominatu potens, tot cœl donis cumulatus, domus Saulis, & gentium barbararum victor, cui ad cumulum humanæ felicitatis, admodum nihil deesse videbatur, uno contuitu fuit stratus, & abjectus, è libero servus libidinis, è videlicet cæcus, è Dei amico hostis, ex opulento spoliatus, & miser evasit.

III. Mihi quidem miserandus David jure vindicatur tunc dicere potuisse, quod post longè fletu, & mœrore plenus cecinit Jeremias. (a) *Oculus meus de prædatus est animam meam.* Sed qualē animam, & quām calamitosè deprædatus est? Illam animam, ut felicissimam urbem, Angelorum multis legiotibus cinctam, bonis cœlestibus affluentem, omnium virtutum locupletem: in requie opulenta sitam, & conscientiæ tranquillitate, plenam divinis Apothecis, ubi peregrinæ huic mundo merces continebantur, non ab Indiae felicibus oris, sed è cœlo empyreo petitæ: urbem devotione præstantem, quotidianis animi donariis, votisque nobilem; ubi Circi, & curricula perfectionis, & multiplicitia theatra proposita mundo, Angelis, & hominibus ad intuendum, ad mirandum, ad imitandum. Hanc, inquam, animam, ut civitatem suis ornamenti gloriosam, unico aspectu oculus de prædatus est, spolia diripuit, trophya statuit ad perpetuam ignominiam sanctitatis. Sustulit è mente lumen, è voluntate religionem, ab animo gratiam, à Vate prophetiam, à Rege consilium, à Dei amico summi Parentis inexplicabilem illam benevolentiam, & favorem, quo gestiebat prius, & mirifice gloriabatur. Hem animi humani imbecillitatem, su-

præ

(a) *Thren.* 3.51.

ius.  
cell  
arba-  
tatis,  
u fuit  
iden-  
tatus,  
vide-  
i, &  
us de-  
i, &  
n, ut  
nibus  
in vir-  
con-  
s, ubi  
non  
æ:ur-  
dona-  
perfe-  
, An-  
a, ad  
atem  
s de-  
l per-  
te lu-  
à  
mico  
blen-  
ificè  
, su-  
pr

Junius.

Tessera.

437

pra omnium opinionem maximam ! Quem unus radius muliebris venustatis, in oculum curiosum exceptus, sic abripit, agitat, & transversum agit, & è regia virtutis via deflectit, scelere infami, incomparabili temeritate, inexplicabili calamitate. Malum est vide re mulierem, pejus alloqui, pessimum tangere. Vis ergò tibi consultum ?

*Despice fæmineum cultum, nec respice vulum.*

## 8. D I E S J V N I I .

Quotiescumque dulci voce mulcetur  
auditus, ad turpe facinus invitatur as-  
pectus. *Valerian. Cemel. Homil. 6.*

C uela I.  
circa au-  
ditum.

**U**T exiguo distant loci spatio  
oculi, & aures, sive eidem ex-  
ponuntur periculo. Facilis est  
transitus ab aspectu ad audi-  
tum. Ne malè audias, cave mala audire. Ut igitur be-  
nè audias, neganda est audientia illis, qui proferunt  
verba impudentia, itemque illorum sermonibus, qui  
detrahere de aliorum vita gestiunt, & nominis glo-  
riam imminuere satagunt. Nihil tamen auditur ut  
frequentiùs sic nec libentiùs in triviis, in tonstrinis,  
in conviviis, in tuguriis pauperum, in palatiis nobi-  
lium, in sacrosanctis quoque templis, in curribus, in  
navibus, vapulant omnium aures convitiis, & con-  
tumeliis, & calumniis. Tanta hujus malibido men-  
tes hominum invasit; ut etiam qui ab aliis vitiis sunt  
eximii, in istud tamen, quasi in extremum diaboli la-  
queum incident. Sicuti ad sanos, sanctosque sermo-

E e 3

nes